

§. VII.

Postquam Petrus de Alliaco hanc dementiam suo tempore undequaque sparsisset, plures alii decepti auctoritate hujus Cardinalis, vestigiis hisce insisterent, & facto veluti gradu, ad fastigium insaniam eniti passim coeperunt. Inter hujus genuinos discipulos numeramus TYBERIUM RUSSILIANUM SEXTUM CALABRUM, qui sub initium seculi XVI, sedente Leone X, floruit, & è Schola Augustini Niphi prodiit, in qua tantum Philosophum ac acerrimum Disputatorem agebat, ut Præceptor Augustinus Niphus (z) depravando ejus nomen, ipsum *Turberium* vocaret, quoniam, ut ipse loquitur, cum disputaret, facile veniebat ad manus. Proposuerat hic aliquando eruditae propositiones supra quadringentas, ex omni fermè scientiarum genere selectas, quas Bononiæ, Florentiæ, atque Patavii publice tuendas susceperat; harum non minimi momenti ea erat, (a) quod Noah, (sic olim etiam sentiebat (b) Gvilielmus Parisiens. Episcopus) quam futurum Diluvium ex Prophetica revelatione, Deo annunciante, prænoyerit, id ipsum tamen longè ante, quam eveniret, ex regulis Astronomicis prævidere potuerit; ex cognitione videlicet constellationum, quæ universalem illum Cataclysmum non solum præsignarunt, sed etiam jussu Dei effecerunt, non tanquam primæ causæ, sed tanquam famulæ & ministræ, adhibentes in obsequium omnipotentis Domini sui vires & facultates, quas ab eo acceperant, inundandi & demergendi orbem terrarum. Hanc opinionem confutavit Hieronymus Armellinus Dominicanus, Alberti M. discipulus, quam in edito adversus eum volumine tanquam hæreticam damnavit. At vero ista Propositio tantæ impietatis non erat, atque hæc, (c) quæ Hæreticorum placitis planè est affinis: *Christum quoad corporis compaginem elementariam astris suppositum, ejusque genituram & Propbetam magnum, & ea quæ circa corpus evenerunt, præsertim violentum ejus mortis genus nunciasse, non inconvenit.* In vitis igitur ac frementibus sacris fidei quaesitoribus, qui ægrè ferre poterant, ab hoc tam præcocis ut sapientiæ, (d) sic ætatis Philosopho, Christum quoad sui corporis temperiem, & vitæ mortisque historiam legibus astrorum subjici, severiùs in illum & diligentius inquirere coeperunt. Russilianus vero, ut opiniones suas liberius quam antea propugnaret, & acrius censores suos quam rationi consentaneum esset, pupugissè videretur, edidit *Apologeticon*, ut librum hunc vocari amat, *adversus Cucullatos*, ubi tria Christi geneseos Themata, secundum tres rationabiles

(z) *Lib. I. de Viro Aulico cap. 59. p. 316. edit. Paris.* (a) *Conf. Sixt. Sen. Bibl. S. L. V. Ann. 51. p. 354.* (b) *De Universo part. I.* (c) *Conf. Naudæus in Jud. de Card. & celeberrimus Bayle Dict. Crit. Tom. I. part. 2. p. 765.* (d) *Sunt Verba Gabr. Naudæi in Judicio de August. Nipho,*